

6 *Quod de uno similium affirmatur vel negatur, id probabile est de altero etiam affirmari vel negari:*

Ut, Si Demosthenes ob eloquentiam est laudandus, etiam Cicero. Thebanis malè cessit bellum cōtra vicinos. E. etiam Atheniensibus malè cedit. Vulgò dici solet: *Quod uni similiū convenit, vel non convenit, id etiam alteri convenit, vel non convenit.* Item: *De similibus idem est iudicium.* Excipe 1. Si individua non sint ejusdē generis. Nec enim valet argumē-
tatio ab individuo extraordinario ad commune: ut, Elias 40. dies jejunavit. E. & nos poterimus. 2. Si individuorum actiones sint malæ: ut, David commisit adulterium. E. & mihi licet. Hic locum habet regula: *Non exemplis, sed legibus & regulis iudicandum.*

7 *De quo unum similium affirmatur vel negatur, de eo probabile est alterum affirmari, vel negari:*

Ut, Si Christus est cibus noster spiritualis, est etiam potus noster spiritualis.

8 *Similia similibus conveniunt. Itaque cui unum similium convenit aut non convenit, ei etiam alterum convenit aut non convenit.*

Verbi gratiâ, Si grex ovium non est cōmittendus rei pecuariae ignaro, neq; ecclesia est committenda rerum divinarum ignaro. Amicus verus rebus adversis probatur; quia aurum probatur igne.

9 *Disimilia dissimilibus conveniunt. Itaq; quod uni dissimilium convenit, quatenus dissimile est, id probabile est alteri non convenire.*

Verbi gratiâ, Pastor bonus non deserit oves suas veniente lupo; quia non est instar mercenarii. Magistratus non debet crudelis esse erga subditos; quia nō est instar lupi. Deus mūdum à se conditū perpetuò conservat; quia non est similis architecto, qui domū constructā non ampliùs curat. Huc pertinet vulgatus canon: *Quæ analogia non sunt, iis nec analogia attributa conveniunt: seu, Quæ proportionata non sunt, iis nec proportionalia attributa conveniunt.*

Canones de conjugatis.

1. *Quod*